


Heinrich Rahn

**Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rahne/ I. U. D. & Prof. Ad
Festivitatem Pentecostes summa devotione celebrandam, Omnes omnium
ordinum cives Academicos serio adhortatur**

Rostochii: Kilius, 1646

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734821182>

Druck Freier  Zugang



RU Progr. 1646

1) Nic. Schübe

2)

3) Minn. Rahne

4)

5) Joach. Lüttemann

3

RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
HENRICUS Rabne/
J. U. D. & Prof.
AD
FESTIVITATEM
PENTECOSTES
summa devotione cele-
brandam,

*Omnes omnium ordinum ciues Academicos
serio adhortatur,*



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Academia Typographi.
ANNO M. DC. XLVI.

RECTOR
HENRICUS
LUD. 2107
FESTIVITATEM
PENTECOSTES



ROSTOCK
ANNO M DC XLVI



Ecce hodie memoriam & stupendi miraculi, & incomparabilis beneficii. Aeternus aeterni Dei Filius promiserat discipulis suis Spiritum Sanctum Et ecce fidem suam sanctissime praestitit, quippe qui veritas ipsa est. Postquam enim subjugato Dæmonum imperio & morte superatâ triumphator gloriam dexteræ Dei in cælis occupasset, die à discessu suo jam decima, Apostoli (utar verbis Poetæ Christiani)

*Vnanimi Solymis votorum ardore sedebant;
Ecce ratam meruere fidem predicta Propheta,
Namque repente crepantis agente volumine venti
Spiritus è cælo prorumpit, & ista locorum
Qua genus ELECTUM sedet Israelis, ab omni
Parte replet; linguaque putes cuique esse flagellum
Dirividuum; liquidi tanquam vapor aureus ignis.
Nec mora, nec requies: animati Flaminiis a sinu
Linguarum varus resonant idioma formis,
Inque DEI laudes sese diffundere certant.*

Quod miraculum vero, uti sunt ingenia hominum, alios aliter interpretatos fuisse legimus, Nempe quos a pietatis studio sacri Pandectæ

commendant, incredibili admiratione attonitos
immane quantum verbis id extulisse : cæteros,
quibus mens levior erat, absurdo sarcasmo, ebrie-
tatis ac vesanæ mentis Apostolos insimulantes,
rem Sole meridie clariorem elusisse. Horum de-
insaniam, precamur illorum pietatem merito suo
anteferimus. Quotusquisque enim vel nostrum
non hæsitet? non obstupescat? homines ex infima
plebe, nec in picta Porticu, nec in Academia aut
veteri aut nova, nec in delicatis disputationibus
Lycei eruditos, immo literis ne leviter quidem
tractos, piscationibus assuetos, vix patrii sermo-
nis satis peritos, uno momento, nullo accedente
studio, in confertissima hominum corona, cœ-
lestis sapientiæ verba facere, patriumque idio-
ma cum remotissimis Parthorum, Medorum,
Ponticorum, aliarumque extremi orbis gentium
linguis, suo arbitrato commutare? Verum enim
vero beneficentia Dei immortalis, quæ nullis li-
mitibus includitur, ultra spem nostram sese ple-
rumque extendit. O rem omnium seculorum
admiratione dignissimam! Unde vero ea, nisi à
Spiritu Sancto suggerente singulis facultatem va-
riis loquendi linguis, quibus apud obvios quos-
que docendo uterentur. Ex quibus notum pro-
vocatumque est, doctrinam CHRISTI & Apo-
stolorum esse veram, & à Deo profectam : siqui-
dem

dem Deus ~~et hoc~~ ergo, addidit arrhabonem
Spiritum Sanctum. Quantum vero sapientiæ,
bonitatis & potentia suæ exhibuit argumentum!
qui quod olim pœna sane justa fuit stultæ teme-
ritatis & superbiæ mortalium, in turris illius fa-
mosissimæ exstructoribus, id bono & utilitati
cultorum Numinis ac nominis sui, sub nova Pen-
tecoste, esse voluit. Jactitent, quicumque vo-
lunt, & suadam suis in labris sessitavisse, vel apes
in os suum mel infudisse, vel suo Musas sermone
locutas; dicam, & ipsa audiente veritate dicam:
Divinam Apostolis eloquentiam non alius quàm
ipse Deus infudit. At illud donum, obijciat ali-
quis, desuit fortasse in Ecclesia? quid ergo ad
nos? Non me Christe. Quod enim de Conserva-
toris nostri merito adeoque de salute nostra cer-
tiores, quodque in gremio Ecclesiæ sumus, ines-
fabili huic muneri Apostolis semel collato uni-
cè debemus. Dixerim equidem, non tam ipsum
hoc donum desuisse, quàm miraculum, cujus in
Ecclesia usus amplius non erat. Offendimus
utique etiamnum interpretes atque Doctores
verbi divini, linguas exoticas insigniter doctos, li-
cet non per miraculum, ut Senatui Apostolico, ea
facultas infundatur, sed institutione & labore im-
probo acquiratur, quod tamen absque Spiritus
Sancti gratia ad irritum caderet. Falluntur animi,

Quicumque sine hoc synergo aut proficere quicquam, aut rem facere sperant. Hic est, qui mentium nostrarum theatra per Evangelium vera agnitione Dei & Servatoris illuminat, fidem accendit, corda movet, regenerat. Apage figmenta Poetarum. Hic est Deus ille, quo agitante calefcimus ad quodvis bonum opus.

Spiritus aethereis sedibus ille venit.

Hic mentium nostrarum tenebras discutit, corda sordida à seorinis peccatorum repurgat, frigida calore suo igneo fovet, mortuis vitam dat, & amore DEI ac studio pietatis accendit. Neque vero ita regenitos nobis nos relinquit, sed cum CHRISTO capite nostro nexu spirituali conjungit. Hinc adeo est, quod nos templa DEI & domicilia Spiritus Sancti audimus, qua dignitate homini major evenire non potest. Quin & quasi freno vestigia fidelium dirigit & gubernat perpetuo, ut ne à veræ pietatis semita in avia vitiorum deflectant: sed ut quæ recta sunt, quæque DEO ac bonis omnibus probantur, sine fastidio sequantur. Cumque militia nostra Christiana sit arena maximarum calamitatum, ingentium periculorum ac miseriarum, ut stationem absque illius auxilio tueri nostrarum virium non sit, ille Paracletus noster, ne malorum

lorum oneri succumbamus, solatio nos erigit,
fractis & nutantibus animum reddit, ut non so-
lum quævis discrimina pro CHRISTI nomine
intrepide adeamus, sed in ipsis etiam tormentis
& afflictionibus frontem exporrigamus ac tri-
umphemus. Quotusquisq; in hac effœta mundi
senecta, hoc turbulentissimo rerum omnium
statu, inter tot Diaboli circumscriptiones, inter
tot clades, tot artes malas (quas Politici ratio-
nem status præsentis, Christiani neglectum salu-
tis æternæ vocant) animum jampridem non de-
spondisset, absq; Spiritus S. præsidio fuisset? Co-
gitate quæso duodecim viros istos Apostolicos.
Fugerant prius ad solum hostium conspectum.
Petrus, heros ille maximus, divini amoris officina
quædam & focus, ad unius muliereulæ impe-
tum ter pejerat; alii renunciant, alii ne respici-
unt quidem. Nunc vero cœlesti Spiritus Sancti
robore armati, præsentis animo orbem terrarum
universum peragrant, multis alioquin armis su-
perabilem, igneo illo doctrinæ divinæ flatu in fi-
dem CHRISTI adigunt, quasque sub jugum mit-
tunt. Quamobrem firmisimè credimus, nos eti-
am hodie ab eodem illo spiritu Veritatis duce,
pro suo quemque modulo doceri, regenerari, cœ-
lesti animorum robore fulciri & confirmari, ne
un-

unquam beata illa salutis æternæ spe excidamus. Sed manum de tabula. Audietis, Cives Academici, pro suggestis, quæ nos hic dicere non potuimus, non volumus. Vestrum est, cavere ne quisquam per hosce dies festos, aut per omne vitæ suæ curriculum sit & audiat

Parvus Jehovæ cultor & infrequens.

Quin potius pietati studete:

Pietas ad omnia utilis, promissionem

Habens & hujus & futuri seculi.

Pietate vera nulla vis valentior.

P. P. Rostochii sub sigillo Academiæ, feria prima Pentecostes, Anno clc lxc XLVI.



lorum oneri succumbamus
 fractis & nutantibus animu
 lum quævis discrimina pro
 intrepide adeamus, sed in i
 & afflictionibus frontem e
 umphemus. Quotusquisq;
 senecta, hoc turbulentis fir
 statu, inter tot Diaboli circu
 tot clades, tot artes malas
 nem status præsentis, Christi
 tis æternæ vocant) animum
 spondisset, absq; Spiritus S.
 gitate quæso duodecim viro
 Fugerant prius ad solum h
 Petrus, heros ille maximus
 na quædam & focus, ad uniu
 tum ter pejerat; alii renun
 unt quidem, Nunc vero c
 robores armati, præsentis ani
 uniuersum peragrunt, mul
 perabilem, igneo illo doctri
 dem CHRIS TI adigunt, qua
 tunt. Quamobrem firmis fir
 am hodie ab eodem illo sp
 pro suo quemque modulo d
 lesti animorum robore fulci

nos erigit,
 ut non so
 nomine
 tormentis
 nus ac tri
 eta mundi
 omnium
 ones, inter
 itici ratio
 tum salu
 m non de
 uisset? Co
 postolicos.
 nspectum.
 oris officii
 ulæ impe
 ne respici
 itus Sancti
 terrarum
 n armis su
 flacu in fi
 ugum mit
 us, nos eti
 tatis duce,
 nerari, cœ
 rari, ne
 un-



the scale towards document